Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 279

Quelle:
Copyright:

tinet *Commentarium in Iſaiam* prophetam, cujus autor eſt *Joachimus Calaber Ord. Ciſterc.* primum *Curatii* Abbas, dein *Congregationis Florenſis* inſtitutor, vir, ut multis viſum, ſpiritu prophetico, aut ſaltem magno intelligentiae dono, et doctrina non vulgari praeditus, Sec. XII. Scriptor. Initium Codicis noſtri ὑσερον προτερον compacti nunc eſt a C. XIII. *Iſaiae* hoc tenore: *Ecce in prouinciis iſtis Auſter et oriens deſcribuntur que et quia date ſunt in Atrium exterius* &c. Coincidunt haec cum *fol.* 28. *edit. Venetae* Commentarii hujus per *Laz. de Soardis* 1517. 4. Deficit itaque loco ſuo *Prologus* et XII. *Capp.* expoſitio, cetera usque ad finem ſalva ſunt; at vero *fol.* 26. *Prologus* et praedicta expoſitio ſubſequuntur. *Figurae*, quae in *edit. ſupracit.* Commentarium antecedunt, nobis a *fol.* 21 — 25. unacum adjectis notis habent ", et quidem tribus plures, *Aquila* videlicet, *Arbores* duae et totidem *Specula manualia*, quarum Lemmata hic adponere difficiles nugas cenſemus. *Schemata* vero, quae Enumerationem *Regionum* circulis concluſarum exhibent, quaeque in *edit.* a *fol.* 9. usque ad 28. viſuntur, in *Cod.* noſtro a *fol.* 32. ad finem pertingunt. Ultimum eſt *Santa ſeuerina.* Itaque maximam partem deficiunt. De Autore ejusque Scriptis, quae των Αποκαλυψεων ſtudioſi vel hodie nare ſagaci perſequuntur, adi *Papebrochium Act. SS.* T. VII. *Maji* 29. p. 89. aut *Fabricii Bibl.* T. IV. p. 39.

CIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 190. 4. a Diverſis conſcriptus et olim e Bibliotheca homiletica, quae multa jam nobis ſubpeditavit, *Wenceslai Roſſii*, ut ejus nomen 1519. *fol.* 6. et iterum *Vlaſſimii* 1540. *fol.* 156. inſcriptum teſtatur, ſequentia complectitur: I. Fragmenta cujusdam Sermonis *de Poenitentia*, qui incipit: *Beati quorum remiſſe ſunt iniquitates. loquitur propheta in perſona penitentis* &c. et Quaeſtionis *de Irremiſſibilitate peccati in Spiritum S.* hoc initio: *Orationibus in chriſto premiſſis. Quia dubitantibus ſanum eſt conſulere* &c. 533

II. *fol.* 3. ſequitur: *Lectura Magiſtri Stephani de Colonia ſacre Theologie profeſſoris ſuper yzaiam prophetam.* Initium: *Uiſio yzaie etc. Liber iſte diuiditur in titulum et tractatum. Vel primo deſcribit ſuam prophetiam. 2° ſubiungit deſcriptam* &c. De Autore nil reperio. Vaſtum fuiſſe oportet ejus Commentarium, ſiquidem *Prophetam* emenſus eſt, cum, quae habentur in *Codice*, *Caput* II. non ſuperent. Multa lectu digna continet. Ita *fol.* 64. in C. II. v. 4. *conflabunt gladios ſuos in vomeres*, haec habentur: *Sed heu bijs iam meſtis temporibus res uerſa eſt in oppoſitam qualitatem. Ita ut iam non gladios in vomeres ſed e conuerſo vomeres in gladios commutent*